



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

XXXIX [i. e. XL]. De matrimonio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

rae sanctae succursus, & circa secundos plus labor itineris, secundum intentionem voventis vel poenitentis, debet attendi. Vnde si quis hoc modo voventium est inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ad eundem, melius est redimere votum quam expensas consumere. quod & de poenitente qui propter debilitatem non potest iter inunctae peregrinationis implere, sanè valet intelligi, non autem de illo qui quamvis sit impotens ad bellandum, potens est tamen ad eundem. Super his autem diligens est adhibenda discretio, ne quid prece vel pretio, amore vel odio, sive occasione quacunq; contra salutem animae vel utilitatem terrae quomodolibet attentetur. Vnde per viros religiosos & probos dispensationem huiusmodi volumus provideri. De mulieribus autem hoc credimus observandum, ut quae remanere noluerint, viros suos sequantur euntes, ceterae verò, nisi fortè sint divites, quae secum in suis expensis possint ducere bellatores, votum redimant quod voverunt, aliis ad terrae sanctae subsidium singulis secundum proprias facultates diligenter inductis.

Cap. 7. de fide
initium.

Quaesisti praeterea quid agere debeas circa illos qui dicentes se ab apostolica sede redire, super absolutione sua ignota Cardinalium sigilla reportant, cum eis super impedimentis expositis non fuisset de levi credendum. Ad quod fraternitati tuae taliter duximus respondendum, quod cum nos, si quando talibus literas apostolicas indulgemus, illis qui personas & facultates eorum plenius cognoverint scribamus ut super impedimentis expositis inquisita diligentius veritate statuunt circa illos quod animarum saluti & succursui terrae sanctae magis noverint expedire, attentius providentes, sicut superius continetur, ne quid in fraudem voti fallaciter confingatur, si tales per veritatis suppressionem aut falsitatis expressionem literas non solum Cardinalium sed & nostras, nec solum dubias, sed & certas constiterit impetrasse, carere volumus impetratis, & eis in nullo prorsus obstantibus ad executionem vel redemptionem voti compelli praecipimus appellatione remota, sicut superius est expressum.



TITULUS XL.

De matrimonio.

Idem Parisiensi Episcopo.

Cum omnia orta occidant & aucta senescant, ne operum Domini primitiae penitus deperirent, posuit Deus sementem juxta species suas in aliquibus creatorum, ut quae super cursum temporis deficerent in se ipsis, in sua semente proficerent, & in reparatione sui generis uberius proficerent. Sic etiam ne homo ad imaginem Dei factus, & tam volucris coeli quam piscibus maris & universis animantibus quae moventur super terram munere divino praelatus, in sterilem cinerem sterilis ipse rediret, formata muliere in auxilium ejus de latere dormientis audivit *Crescite & multiplicae & replete terram.* Cum ergo ex tunc Adae posteritas sibi invicem jungi consueverit foedere nuptiali, usque adeo in hoc ipsi comparata est etiam post lapsum parentis dextera conditoris ut juxta illud evangelicum, *Quod Deus conjunxit homo non separet*, non humanae ad inventionem, sed divinae auctoritati potius adscribatur matrimonij sacramentum. Propter quod licet inter homines contrahatur, significatur tamen in Christo conjunctio Ecclesiae & animae fidelis ad Christum juxta illud Apostoli: *Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia.* Vnde quantum in nobis est Ecclesiae filiis debemus summo studio praecavere ne si quis impiè agens in se ipsum partem sui corporis, quia scindere eam omnino non potest, a se forsan avellere attentarit, animam suam divinae bonitatis amplexibus efficiat alienam, & propter hoc totam Ecclesiam tanto amplius sibi reddat offensam quanto providum minus figuram dispensationis ejus ad Christum, quantum etiam in ipso fuerit, maculaverit. Haec autem non ad instructionem &c.

Idem Ferentino Episcopo.

Sicut ex litteris tuae fraternitatis accepimus, cum L. Parrochianus tuus P. mulierem se ducturam in conjugem in manu patris ejus P. jurantis quod eam ipsi traderet in uxorem, proprio juramento firmiter, nec per virum steterit, sed per mulierem potius, quod minus matrimonialis inter eos sollemnitas sit secuta, quatuor postmodum vel quinque annis elapsis
idem

idem L. G. mulierem per verba de presenti, ut ejus consanguinei asserunt, desponsavit. Propter quod frater prædictæ P. suam deposuit in tua presentia quaestionem. Quia verò quid super his agendum sit nostro postulas responso doceri, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si tibi constiterit quòd idem L. P. mulierem per verba de futuro, G. verò per verba desponsaverit de presenti, imposita ei poenitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit, nisi forsan juramento certum terminum infra quem dictam P. duxerit in uxorem præfixerit, nec per eum steterit quin ad statutum terminum matrimonium consummaret, secundum contractum legitimum iudices, & ad illud servandum eum, si opus fuerit, ecclesiastica districtione compellas, nisi forsan aliud quid obstiterit quòd ipsum debeat impedire. Quòd si fortè per verba de futuro sponsalitia cum utraque contraxit, juramentum primum, sicut licitè factum est, ipsum servare compellas, de secundo ei poenitentiam injuncturus. Quòd si de his tibi non constat ad plenum, tamdiu adhuc cognoscas de causâ donec super his sufficientius instruaris. Quòd enim in attestationibus quas ad sedem apostolicam destinasti de compaternitate habetur, non facit ad causam, cum neuter contrahentium sit illa persona quâ mediante inter parentes eorum compaternitas est contracta.

Idem Marsicano Episcopo.

Lib. 1. epist. 48
Significasti nobis per literas tuas quòd cum B. vir O. mulierem prius carnaliter cognitam desponsasset, eam postmodum non cognovit, immo ipsa ad partes alias transeunte, sibi aliam copulavit, ex qua filias & filios jam suscepit. Verum quia eadem O. ad te reversa, vel virum ipsum sibi restitui postulat, vel dari licentiam contrahendi, & tu quid super his fieri debeat nostris quaeris literis edoceri, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si dictus vir eam desponsavit per verba de presenti, ad ipsam cogendus est de jure redire. Quòd si forsan in desponsatione ipsius verbis usus est de futuro, imposita utique poenitentia de fide mentita, mulieri eidem nubendi cui voluerit in Domino liberam tribuas facultatem.

Idem Mutinensi Episcopo.

Cap. Tunc. de spon. duo.
EX parte tua recepimus quòd de consuetudine diu in Mutinensi obtinuit

Tom. I.

civitate ut si quis jurasset aliquam, & citra carnis copulam desponsasset, si consequenter desponsasset aliam, & etiam cognovisset, primò cognita adjudicaretur viro, non quæ prius extitit desponsata. Ne verò turpis sit pars quæ suo non congruit universo, & Ecclesia Mutinensis teneat humiliter & observet quòd beati Petri sedem & suam metropolim sequi viderit & docere, in matrimoniis de cetero contrahendis illud te volumus observare, ut postquam inter personas legitimas consensus mutuus intervenerit de presenti, qui sufficit in talibus juxta canonicas sanctiones, & si solus defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, & si personæ junctæ legitimè cum aliis postea de facto contrahant, quòd prius de jure factum fuerit, non poterit irritari.

Idem Madeburgensi Episcopo.

Discretionem tuam in Domino commendamus quòd in his quæ dubia reputas vel obscura sedem consulis apostolicam, ut in eis de cetero ipsius auctoritate procedas. Sanè in audientia nostra fuit ex parte tua propositum quòd quidam vir cum muliere quadam legitimè per verba de presenti contraxit, quam postmodum à se incognitam cuidam consanguineo suo tradidit in quantum poterat renitentem. Ille verò cum ipsa, licet invita, matrimonij sollempnia celebravit. Sed mulier quam citius fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro vel priorem sibi restitui cum instantia postulavit. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd & viro pro tam turpi facinore quam gravis est poenitentia injungenda, & mulier ipsa propter publicam honestatem est commendanda sollicitè ut nec primum repetat, cujus consanguineus eam, licet invitam, cognovit, nec redeat ad secundum, cui non potest præter reatum adulterij commisceri, sed in continentia maneat donec prior fuerit viam univèrsæ carnis ingressus. Quòd si forsan ad id induci nequiverit, vir prior redire cogatur ad ipsam & maritali eam affectione tractare, cum adulterium ei non possit obicere qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Nam etsi secundum evangelicam veritatem nunquam nisi propter causam fornicationis aut vir uxorem aut uxor possit dimittere virum, non tamen semper propter eandem causam vel uxor virum vel vir dimittere valeat uxorem, cum possit exceptione

Cap. 6. De eo qui cogno.

G G g g

vel replicatione legitima impediri. Sed nec affinitas quæ post contractum legitimum inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere quæ hujus iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine culpa sua privari. Quamquam à quodam prædecessorum nostrorum dicitur in simili casu fuisse distinctum, utrum videlicet adulterium vel incestum manifestum fuerit an occultum, aliis asserentibus inter gradum proximum vel remotum esse potius distinguendum.

Idem Arelatensi Archiepiscopo.

Cap. Super eo.
de consang.

Lib. 1. epist.
333.

Cum apud sedem apostolicam, cui, licet immeriti, præsidemus, totius ecclesiasticæ disciplinæ resideat magistratus, dignum est & consonum rationi ut quotiens circa negotia varia & diversa quicquam dubitationis emerferit, ad ipsius judicium recurratur, quæ disponente Domino inter omnes Ecclesias obtinere meruit principatum. Sanè consuluisti nos per nuntios & literas tuas utrum mutus & surdus alicui possit matrimonialiter copulari. Ad quod fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicquid non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus eorum de quorum quarumque conjunctionibus agitur, videtur quòd si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari quod cum verbis non possint, signis valeant declarare.

Idem Vivariensi Episcopo.

Accedens ad præsentiam nostram B. mulier latrrix præsentium sua nobis insinuatione monstravit quòd cum N. viro legitime conjuncta in lapsum carnis incutiente diabolo incidisset, tandem quòd neuter eorum repeteret alterum mutuo jurarunt, & licet ipsa continentiam observavit, vir tamen ejus nequaquam voluit continere. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi commoniti continentiam curaverint observare, tu, si res ita se habet, præfatum virum ut eam recipiat & maritali affectione pertractet monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, cum nec adulterium ei possit adulter opponere, nec etiam juramentum obsistat quod de non repetendo, non autem de non recipiendo, præstitum fuisse narratur.

Idem Nisiniensi Episcopo.

Constitutus in præsentia nostra Hugo Vitalis lator præsentium humillima nobis insinuatione monstravit quòd cum esset in acolythatus ordine constitutus quandam puellam R. nomine in facie Ecclesiæ duxit uxorem, cumque aliquandiu cohabitassent in simul, & ipse eam carnaliter cognovisset, orta discordia inter eum & amicos puellæ coram te, [habito] diligenti tractatu, prædicta puella fuit cuidam alij Vitali nomine copulata, & tumemoratum Hugonem usque ad gradum sacerdotij ordinasti, & eidem Ecclesiam concessisti. Cum autem eum sua conscientia remorderet, & de consilio quorundam religiosorum habitum Cisterciensis ordinis assumpsisset, tandem N. Abbati suo omnia prædicta revelavit, qui eum commoovit diligenter ut super hoc salutis suæ animæ provideret. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, prædictam R. ut recedat à præfato Vitali, cui per adulterium est conjuncta, nec præscriptum monachum impetat quòd minus regulare votum valeat adimplere, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo cogere non omittas.

Cap. 5. de
conv. conjug.

*Idem Mannanensi Episcopo & Archidiacono
Bangoranensi.*

Postulavit à nobis dilectus filius Princeps Norvvaliæ ut de concessione nostra sibi liceret filiam dilecti filij Principis insularum subarratam ab ipso accipere in uxorem, nonobstante quòd patruo ejus eadem infra nobiles annos extitit desponsata, cum tamen à neutro traducta fuisset. Verum quoniam nobis constare non potuit cujus ætatis puella tempore subarrationis vel desponsationis extiterit, & cui antea fuerit, puta nepoti vel patruo, desponsata, cum secundum diversitates factorum jura etiam sint diversa, in hujusmodi certum non potuimus dare responsum, quoniam juxta canonicas sanctiones in rebus ambiguis non est absolutum judicium proferendum. Quocirca mandamus quatenus sollicitè inquiratis utrum puella septennium non attigerit quando subarrata extitit à nepote vel patruo desponsata. In utroque namque istorum casuum, quia tam subarratio quam desponsatio de jure non tenuit, quæ non potest septennium prævenire, quod factum est à patruo primò vel

postea non obstante, nisi aliud quid impediat, puella eadem legitime contrahere poterit cum nepote. Si verò tam subarrationis quam desponsationis tempore septennis extitit vel majoris ætatis, cum extunc incipiant placere sponsalia, si præcessit desponsatio patris, non potuit contrahere cum nepote, quoniam secundum traditiones & observantias regulares nullus potest sponsam consanguinei sui accipere in uxorem, & ij duo casus non ad imparia judicantur. Si autem subarratio facta cum nepote præcessit, quod secutum fuit postea non tenente, cum per secundum factum non potuerit primum dissolvi, quod quantum ad sponsalia fortitum fuerit firmitatem, volentibus personis principalibus matrimonium inter eos poterit consummari. Si verò nepos eam ante septennium subarravit, & patruus in septennio vel post septennium desponsavit, idem nepos eam propter rationem præmissam ducere non poterit in uxorem. Sin vice versa, eam sibi legitime poterit.

Idem Conrado & Petro quondam filijs Malebrac.

AD dissolvendum quod factum fuit inter I. filium nobilis viri L. de Monumento & S. filiam quondam Matthæi de Fortibrachio super matrimonio contrahendo, accusatione super consanguinitate proposita, & tam ex parte juvenis quam ex parte puellæ consanguinitatis gradibus computatis, cum eam velletis idoneis testibus comprobare, de consilio fratrum nostrorum pronuntiavimus inter dictos juvenem & puellam nec matrimonium nec sponsalia fuisse contracta, cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Quocirca nec accusatio locum habebat, cum non esset quod posset legitime accusari, denuntiari non poterat consanguinitas, ut interdiceretur matrimonium contrahendum.

Idem Mensicensi Episcopo.

ALiquo dubitationis scrupulo emergente, ea quæ incerta videntur sancti patris ad sedis apostolicæ decreverunt oraculum perferenda. Quorum siquidem vestigia laudabiliter imitatus, à nobis inquirere studuisti utrum inter duos parochianos tuos matrimonium quod, puella probante infra nobiles annos se ductam à viro fuisse, de consilio dilecti filij P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis tunc

Tom. I.

apostolicæ sedis Legati per divortij sententiam diremisti, possis redintegrare licenter, cum eadem puella jam nubilem ætatem attingens consensum adhibeat, & nullus ex eis ad alia vota se duxerit transferendum. Ad quod tibi taliter respondemus, quòd nisi aliam causam rationabilem intervenire cognoveris, securus ad copulam ipsius matrimonij tibi patet absque aliqua dubitatione processus.

Idem Rosan. Archiepiscopo.

QUòd super his articulis qui tibi aliquam dubitationem inducunt nostrum ducis consilium requirendum, & ad ea exequenda quæ officium postulant pastorale, apostolicæ sedis procuras auxilium invocare, sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, & postulationibus tuis grato animo respondemus. Significasti siquidem nobis quòd in diocesi tua pater & filius matrem & filiam, duo cognati duas cognatas, avunculus & nepos duas sorores ducunt in conjugium. Super quo taliter tibi duximus respondendum, quòd licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris affines sint viri, inter consanguineos tamen viri & consanguineos uxoris ex eorundem, viri videlicet & uxoris, conjugio nulla prorsus affinitas est contracta propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.

Idem Ferrariensi Episcopo.

QUanto te novimus in canonico jure peritum, tanto fraternitatem tuam amplius in Domino commendamus quòd in dubiis quæstionum articulis ad apostolicam sedem recurris, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, ut opinio quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per sedem apostolicam vel probetur. Sanè tua nobis fraternitas suis literis intimavit quòd altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur ad secunda vota transire desiderat & filios procreare. quod utrum possit fieri de jure, per easdem nos duxisti literas consulendos. Nos igitur consultationi tuæ de communi fratrum nostrorum consilio respondentes, distinguimus, licet quidam prædecessorum nostrorum sensisse aliter videantur, an ex duobus fidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter la-

G G g g ij

Lib. 1. epist.
125.

Lib. 1. epist.
261.

Lib. 1. epist.
50.

Cap. Si infidelis. 28. q. 2.

batur in hæresim vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel saltem non absque blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod dicit Apostolus, *Si infidelis discedit, discedat, frater enim & soror non est servituti subjectus in huiusmodi*, & canonem in quo dicitur quod contumelia creatoris solvit jus matrimonij circa eum qui relinquitur. Si ergo alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu major appareat contumelia creatoris. Nam si matrimonium verum, quod inter fideles existat non tamen est ratum, inter fideles autem verum quidem & ratum existit, quod sacramentum fidei, quod semel admissum numquam amittitur, ratum efficit conjugij sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Nec obstat quod à quibusdam forsitan obicitur, quod infidelis relictus non debeat suo jure sine culpa privari, cum in multis casibus hoc contingat, ut si alter conjugum incidatur. Per hanc autem responsionem quorundam malitiæ obviatur qui in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim ut ipsi à conjugibus nubentibus resiliant. Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, qua queritur utrum ad eum qui vel ab hæresi vel ab infidelitate revertitur, is qui permansit in fide redire cogatur.

Idem Livoniensi Episcopo & eis qui cum ipso sunt fratribus.

Cap. Deus qui. de divor. & cap. 6. de vit. & hon.

DEus qui Ecclesiam suam nova semper &c. *Et infra.* Quia verò in matrimonij contrahendis dispar est ritus eorum à nostro, cum in consanguinitate vel affinitate distinctionem canonicam non attendant, & relictas fratrum indistinctè sibi consueverint copulare, ne propter hoc à bono proposito, sicut hætenus, retrahantur, cum nec quidam eorum voluerint credere nisi relictas fratrum eorum pateremur retinere, nec vos eos, nisi tales dimitterent, recipere volueritis ad baptisma, propter novitatem & infir-

mitatem gentis ejusdem concedimus ut matrimonij contractis cum relictis fratrum utantur, si tamen fratribus decedentibus sine prole, ut defuncti semen juxta legem Mosaicam suscitarent, cum talibus contraxerunt, ne tales sibi de cetero, postquam ad fidem venerint, copulent prohibentes. Ad hæc, sanctæ memoriæ beati Gregorij Papæ prædecessoris nostris adherentes vestigijs, ne populus Livoniensis à bono quod cœpit austeriora metuendo recedat, ut in quarta & ultimus generatione matrimonium contrahant donec in fide plenius solidentur, cum eis auctoritate apostolica dispensamus, non ea intentione concedentes hoc ipsis ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, talibus jungantur. Nam secundum Apostoli verbum, *Lac dedi vobis potum, non escam*, illis modò, non posteris temporibus tenenda concessimus, ne, quod absit, exuratur bonum quod adhuc est infirma radice plantatum, sed firmetur potius & usque ad perfectionem fideliter conservetur. Cum autem sacramentum conjugij apud fideles & infideles &c. *Et infra decretum* gaudeamus usque crimina dimittuntur. Ceterum cum penitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam penitentis contritionem & discreti sacerdotis sit arbitrium moderanda, pensata qualitate personæ super fornicatione, adulterio, homicidio, & aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus, & præsertim novitate Livoniensis Ecclesiæ, competentem penitentiam delinquentibus injungatis, prout saluti eorum videritis expedire. Apostoli autem vestigijs inherentes dicentis, ut prædiximus, *Lac dedi vobis potum, non escam*, paulatim, eos instruatis in fide, confessionis formam, orationem dominicam, & symbolum ipsum sollicitius edocentes. Interim tamen corporis & sanguinis dominici sacramentum renatis fonte baptismatis consuetis festivitatis & in mortis articulo tribuatis.

Idem Tiberiadeni Episcopo.

GAudemus in Domino & in potentia virtutis ejus, & patri luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, uberes gratiarum exsolvimus actiones quod, sicut nobis tuis literis intimasti, diebus istis novissimis ille qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quod ad fidem Christianam venient multorum paganorum

Cap. 8. de divor.

cordibus inspiravit. Et quoniam uxores acceperant in secundo, tertio, vel ulteriore gradu sibi convinctas, utrum sic conjuncti debeant post conversionem suam insimul remanere vel ab invicem separari, edoceri per rescriptum apostolicum postulasti. Super quo fraternitati tuæ taliter respondemus, quod cum sacramentum conjugij apud infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens, *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & in præmissis gradibus à paganis quoad eos licitè sit contractum, qui in constitutionibus canonicis non artantur, (Quid enim ad nos, secundum eundem Apostolum, de his qui foris sunt judicare?) in favorem præsertim Christianæ religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores deferi se timentes viri possent facilè revocari, fideles hujusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt & licitè remanere conjuncti, cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur. Et quoniam pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur. Quia verò tam Patriarchæ quàm alij viri justi ante legem pariter & post legem multas uxores insimul habuisse leguntur, nec contrarium apparet in evangelio vel lege præceptum, neque pagani subiciuntur institutis canonicis post inventis, quemadmodum est præmissum, videtur quod & nunc juxta ritum suum licitè contrahant cum diversis, quorum conjunctiones legitimas unda sacri baptismatis non dissolvit, & ita Patriarcharum exemplo ad fidem Christi pagani conversi conjugiorum pluralitate gaudebunt. Verùm absolum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa, & scriptura divina testetur quod *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non dicit *tres* vel *plures*, sed *duo*. Nec dicit *adheret uxoribus* sed *uxori*. Vnde Lamech, qui plures simul uxores legitur habuisse, reprehenditur in scripturis eò quod ipse primus reprobendam bigamiæ speciem introduxit. Licet autem de hujusmodi non quæsieris, volentes tamen tam te quàm alios super his etiam reddere certiores, & quod veritas prævaleat falsitati, sine dubitatione qualibet protestamur quod nulli*

unquam licuit plures insimul uxores habere, nisi cui divina fuit revelatione concessum, quæ mos quandoque interdum etiam fas censetur, per quam sicut Jacob à mendatio, Israelitæ à furto, & Sanson ab homicidio, sic & isti ab adulterio excusantur. Sanè juridica hæc sententia probatur etiam testimonio veritatis in evangelio protestantis: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur.* Sic ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest. Fortius etiam ipsa re-tenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobendam. Ceterum prolem de hujusmodi conjunctionibus natam, quæ secundum opinionem eorum matrimoniali contrahuntur affectu, post fidem receptam, utilitate publica suadente, legitimam volumus reputari. Qui verò secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente aliam licitè poterit, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum. in quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur, quia secundum Apostolum frater aut soror non est in hujusmodi servituti subjectus. Quod si conversum ad fidem & illa conversa sequatur antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelleretur. Et quamvis secundum evangelicam veritatem qui duxerit dimissam mœchetur, non tamen dimissor poterit opponere fornicationem dimissæ, pro eo quod nupserit alij post repudium, nisi aliàs fuerit fornicata.

Cap. 15. qui filij sunt legit.

TITULUS XLI.

De legitimis filiis.

Idem Ovetensi & Burgensi Episcopis.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quod . . quondam pater dilecti filij . . Archidiaconi Ovetensis matrem ejus, quæ uxor consanguinei sui extiterat tertio sibi gradu consanguinitatis conjuncti, sollemniter duxit & publicè in uxorem, & eam maritali affectu cognoscens, ipsum qui modò est Archidiaconus

G G g ij